

hominum causa facta esse et parata. Principio ipse mundus, deorum hominumque causa factus est: quaeque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt. Est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes, jure ac lege vivunt. Ut igitur Athenas et Lacedaemonem, Atheniensium Lacedaemoniorumque causa putandum est conditas esse; omniaque, quae sint in his urbibus, eorum populorum esse recte dicuntur: sic, quaecunque sunt in omni mundo, deorum atque hominum putanda sunt. Jam vero circuitus solis et lunae reliquorumque siderum, quamquam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamen etiam spectaculum hominibus praebent; nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, et ad rationem sollertiamque praestantior: eorum enim cursus dimetati, maturitates temporum et varietates, mutationesque cognovimus; quae si hominibus solis nota sunt, hominum causa facta esse judicandum est. Terra vero feta frugibus, et vario leguminum genere, quae cum maxima largitate fundit, ea ferarumne, an hominum causa gignere videtur? Quid de vitibus olivetisque dicam? quarum uberrimi laetissimique fructus nihil omnino ad bestias pertinent. Neque enim serendi, neque colendi, nec tempestive demetendi percipiendique fructus, neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est: earumque omnium rerum, hominum est et usus, et cura.

Cap. LXIII. Ut fides igitur, et tibus eorum causa factas dicendum est, qui illis uti possunt: sic ea, quae diximus, solis iis confitendum est esse parata, qui utuntur. Nec si quae bestiae furantur aliquid ex iis, aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum et liberorum et familiarum suarum. Itaque bestiae furtim, ut dixi, fruuntur: domini palam, et libere. **Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas esse**